DE RETRACTATIONE FASTORUM AB OVIDIO TOMIS INSTITUTA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
DIE V MENSIS JANUARII A. MDCCCLXXXV
IN PUBLICO DEFENDET

GUILELMUS KNOEGEL
NASSOVIENSIS.

MONTABORINI
EX TYPOGRAPHIA SAUERBORNIANA
MDCCCLXXXV.

Nonnullos veterum scriptorum libros retractatos aliorumque retractationem absolutam aliorum incohatam esse et memoriae traditum est et viri docti non sine probabilitate coniecerunt. Velut Aristophanis fabulae, quae inscribitur Plutus, condicionem, quam nunc habet, a multis partibus aliam esse, atque eam qua primo utebatur, — sine dubio fidis testibus nixi — veteres interpretes prodiderunt. Idem fere constat de Ciceronis Academicis, quae ex duobus libris in quattuor collata se traduxisse ad Varronem Cicero ipse scribit ad Atticum (XIII 16,1; 13,1). Strictim mentionem facio Ovidii amorum, quos cum nunc tres comprehendant libros, olim comprehendisse quinque is, qui epigramma scripsit, quod illis propositum est, certe scivit.*)

Hos igitur libros retractatos esse satis certum est: veri simillimum Demosthenis quoque orationem Philippicam tertiam in aliis codicibus talem esse, qualis primo, in aliis talem, qualis partim mutata iterum ab illo oratore edita sit, quae Weilii coniectura ideo potissimum mihi probanda esse videatur, quod in aliis codicibus plura traduntur quam in aliis eaque nova et quae vix cuiquam nota fuerint nisi Demostheni ipsi.

Pauciores esse libros, quorum retractatio incohata neque vero perfecta est, ex ipsa rei natura elucet. Unius igitur mihi in mentem venit: Aristophanis Nubium, quam comoediam, quoniam cum alias multas tum temporis discrepantias prae se fert, in illorum librorum numerum referendam esse facile conicitur.

---

*) Permultas illas et Graecorum et Romanorum orationes, quae, priusquam ederentur, paullum vel multum — velut Ciceronis Miloniana — mutatae sunt, huc non refero, quippe quas scriptores semel tantummodo ediderint.

Eisdem autem et similibus argumentis idem de Ovidii Fastis nonnulli viri docti demonstrare studuerunt. Sed cum neque ii, qui huic rei operam dederunt, de ea consentiant et ego ipse cum in omnes Ovidii libros tum in Fastos studia contulerim, diligentius illam quaestionem retractare opera pretium mihi videtur idque eo magis, quod nuper Goldscheider commentatione, quam conscripsit „de retractatione Fastorum Ovidii" (Hal. 1877), haud ita pauca defendit, quae mihi quidem non probentur.

Qualis igitur Fastorum Ovidii condicio sit, tres potissimum sententiae prolatae sunt: una est Merkelii, altera Loersii, tertia Riesii. Atque Merkelius, cui Peter in universum assentitur, Fastos contendit olim fuisse dedicatos Augusto, deinde inscriptos esse Caesari Germanico, filio Neronis Claudii Drusi, a Tiberio adoptato,*) sed primum tantummodo librum retractatum videri esse eumque „totum, lacunis, quae fuisse videantur, suppletis, prioris curae indiciis, quae cum novo statu, tempore, consilio non convenirent, deletis" (prolegg. p. 262); „reliquos quinque, si unum locum excipias [IV. 81 sqq.], scriptos esse ad Augustum eodemque hodie esse statu, quo fuerint anno 762" (prolegg. p. 257) — hoc enim anno Ovidius Tomos abiit.

Loersius idem sentit de dedicatione mutata, negat „in rebus ac tractatione et perfectione inter librum primum et quinque reliquos differentiam esse" (progr. gymn. Trevir. a. 1851 p. 5). Paullo differt Goldscheider, qui Germanico iudicat dedicatos esse libros omnes: „nihil igitur est, cur alteram curam ad solum primum librum pertinuisse statuatur" (l. c. p. 23); Idem novum invenisse sibi videtur, quod arbitratur „poëtam hoc carmen non uno tenore ab exordio usque ad finem componere voluisse, sed per longum temporis spatium modo hanc modo illam partem, ut vel rebus vel ingenio commovebatur, quas postea conecteret et suppleret" (l. c. p. 17). Sane — ut

---

*) Idem iam Cuperus coniecerat; cfr. Burmann. Trist. II. 551 adn.

hoc quasi in ipso limine commentationis proferam — negari vix potest poëtam illa scribendi ratione usum esse, cum singulae Fastorum partes nisi dierum ordine inter se non cohaereant. At quid ad retractationem? Videlicet omnino demonstrari nequit „in altera demum cura singulas partes Ovidium conexuisse et supplevisse“ (l. c. p. 20). Accedit, quod haud facile quis credat, „disiecti membra poëtae“ Ovidium tum demum collegisse, id quod abhorret ab eo, quod ille tum, cum relegatus est, Fastos Augusto dedicaverat et in universum confecerat; cfr. p. 6 sq. Sed redeat unde digressa est disputatio.

Riesius denique „Germanico Caesari poëtae poetam“ Fastos iudicat dedicavisse ab initio, ita tamen ut cum in omnibus libris tum in primo indicia retractationis inveniantur, quam opinionem in editione paucis delineatam fusius exponit ann. philol. a. 1874 p. 561 sqq. Idem fere iam antea Burmannus (Trist. II. 551 adn.), quae res Riesium videtur fugisse, his verbis adumbraverat: „non verosimile mihi videbatur umquam [Ovidium] Augusto dedicasse Fastos, quia nullum eius rei vestigium apparet et numquam ad Augustum orationem dirigat, sed ad Germanicum aliquoties.“

Habes de Fastorum condicione coniecturas, de quibus quid iudicandum sit iam ad rem ipsam accedentes quaeramus. Commentationem igitur sic instituam, ut

primum dicam de dedicatione mutata et de diversae dedicationis tamquam vestigiis,

deinde eos locos colligam, qui quo tempore scripti sint enucleari potest — qua parte primum docebo alios locos in exilio, Romae alios scriptos esse, tum ad Augustum mortuum alios, alios ad Augustum spectare viventem, addam eorum, quae explorata erunt, conclusionem. —

postremo leviora proferam retractationis indicia.

In hunc igitur modum argumentatione ipsa ad finem perducta restabit,

ut exponam, cur Ovidius Fastos retractandos animum induxerit dedicare Germanico.

A. De dedicatione mutata et de diversae dedicationis vestigiis.

a. de discrepantia versuum Trist. II. 549 sqq. et Fast. I. 1 sqq.

Omnis igitur de Ovidii Fastorum condicione disputatio initium capere debet a Tristium libri alterius, quem Ovidius Augusto inscripsit, vv. 549 sqq.: „sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos, cumque suo finem mense volumen habet, idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar, et tibi sacratum sors mea rupit opus.“ Versus duo priores duplicem in modum explicati sunt, sic a Jahnio et Loersio: „sex ego Fastos scripsi et totidem libellos et cum uno quovis mense sive Fasto simul quoque carminis libellus finem suum habet“, contra a Merkelio, Petero, Riesio sic: „sex et totidem (h. e. duodecim) Fastorum libellos scripsi“ (Loers. l. c. p.13), quam interpretationem quamquam alteri praeferendam esse ex ipsis verbis haud scio an appareat, commemoranda tamen utraque erat, ne de vv. 551 sq., qui ponderis sunt maximi, dubitetur interpretandis. Horum igitur manifesta sententia haec est, ut se Fastos Caesari i. e. Augusto — ad quem eum secundum Tristium librum misisse iam dixi — dedicavisse poëta affirmet.

Atqui Riesius (ed. part. III. pag. VI.; ann. phil. a. 1874, p. 568) fingere illud Ovidium contendit; iurene contendat videamus. Primum igitur Ovidii verba tam definita et dilucida et perspicua sunt, ut summam profecto audaciam et temeritatem ei tribuat Riesius. Quid? nonne Augustus partem operis sibi dedicati, ut legeret, poscere potuit, sicut Vergilii Aeneidis singulos libros, priusquam ederentur, ab eo lectos esse memoriae proditum est? Quid faceret poëta, si hoc accidisset? Num si ad illud mendacium descendisset, id eum animo non consideraturum fuisse putamus? Accedit, quod illud mendacium non ita multum Ovidio profuisset. Nonne enim eundem paene sperans fructum Fastos se dedicavisse dicere potuit Germanico?*) Neque denique aliae tales Ovidii nugae notae sunt; quos enim locos Riesius in medium protulit, falso, nisi maxime fallor, protulit. Alter igitur est ex P. IV. 14, 44:

*) Idem intellexit Goldscheider (l. c. p. 4).

„exstat adhuc nemo saucius ore meo.“

Haec verba consentire negat ille cum eo, quod Ovidius, tum cum scripsit, Ibim iam scripserat. At quid ni assentiamur Teuffelio (hist. lit. Rom. ed. IV. p. 530 adn. 3) poëtam conicienti primo exilii tempore hoc carmen composuisse, extremo in lucem edidisse. Itaque minime cum Goldscheidero statuo hoc loco verbum „nemo“ idem esse ac „pauci“ (l. c. p. 4 sq.); licet enim interdum „pauci“ dicatur pro „nemo“ (tamquam per ironiam), nusquam „nemo“ idem significat ac „pauci“. Eandem „exaggerationem poëtici consilii causa“ concedo de vv. Trist. V. 12, 65 sq. quem locum affert alterum Riesius:

„nec nisi pars casu flammis erepta dolove
ad vos ingenii pervenit ulla mei.“

Haeret Riesius in voce doli, quod non intellegatur, „cuius dolo carmina igni destinata e flammis surrepta sint, cum nullum sibi amicum, nullum, qui vel Latine loqui posset, Tomis fuisse saepissime [Ovidius] queratur.“ At vix quisquam crediderit, prorsus neminem secum habuisse poëtam, qui carmina, quae „in igne posuerat“ (v. 64), dolo flammis surriperet. Quae interpretatio si reicitur, rem nobis exploratam non esse fateamur necesse est, simul delegantes ad Trist. III. 10, 35 sq:

„cum sint praemia falsi
nulla, ratam debet testis habere fidem.“

Postremo prorsus nescimus, cur Ovidius, priusquam relegaretur, Fastos dedicaverit Germanico; quid illi cum Fastis? quid cum poëta ipso? Hic cum Tomos abiret, quinquaginta fere annos natus erat, Germanicus eodem tempore viginti tres, nulla, quod sciamus, re gesta nominis gloriam adeptus. Aliter res se habet de Augusto, cuius ad laudes Fasti spectant, aliter post poëtae relegationem de Germanico. Accedit, quod hic rarissime commemoratur in Tristibus, quae continuo post relegationem composita sunt, multo saepius in libris, qui inscribuntur ex Ponto, post Tristia conditis. Credas si poëta re vera cum Germanico, antequam exulavit, necessitudine aliqua

coniunctus fuisset, crebriorem illius mentionem fuisse futuram in Tristibus.*)

His causis adducor, ut verba Trist II. 551 sq. ficta esse prorsus negare ausim. Cur autem Riesius de mendacio cogitaverit, iam disces. Etenim initio libri Fastorum primi poëta opus dedicat non Augusto, sed Germanico. Ut ex hac locorum discrepantia Fastorum dedicationem facile conicitur esse mutatam, ita comprobatur haec coniectura ipsa libri condicione.

b. de diversae dedicationis vestigiis.

Poëta igitur aliis locis Germanicum, aliis alloquitur Augustum,

α. his locis Germanicum.

I. 1—26, cfr. 3 sqq:

„excipe pacato, Caesar Germanice, vultu
hoc opus et timidae dirige navis iter,
officioque, levem non aversatus honorem,
huic tibi devoto numine dexter ades."

I. 63 sq:

„ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum
inque meo primus carmine Janus adest."

I. 285 sq:

„pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi,
tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas."

I. 589 sq:

„redditaque est omnis populo provincia nostro,
et tuus Augusto nomine dictus avus."

I. 614:

„protegat et vestras querna corona fores."

Ad Germanicum spectare hunc versum inde evincitur, quod, tum cum poëta vv. 613 sqq. scripsit, Augustus iam mortuus erat; cfr. p. 23 sq.

---

*) Peter cum poëta in epistula e. P. IV. 8. anno 15 p. Chr. n. composita, quidquid vivi in suo ingenio restet, omne serviturum esse Germanico polliceatur (vv. 65 sq.) neque quidquam addat de Fastis ab initio Germanico dedicatis, hoc ipsum negandum esse non sine iure concluserit (ann. phil. 1875 l. c.)

IV. 81 sqq:

„Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae!
me miserum, Scythico quam procul illa solo est!
ergo age, — tam longas sed supprime, Musa, querelas:
non tibi sunt maesta sacra canenda lyra!"*)

β. his locis affatur poëta Augustum.

II. 15 sqq:

„at tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
nomina per titulos ingredimurque tuos.
ergo ades et placido paullum mea munera vultu
respice, pacando si quid ab hoste vacas."

Cum toto Fastorum opere nihil legatur de Germanici nominibus aut titulis, de Augusti permulta, versus ad Augustum referendi sunt. Adde vv. I. 9 sqq, ubi poëta Germanici laudes silentio praeterit:

„invenies illic et festa domestica vobis,
saepe tibi pater est, saepe legendus avus.
quaeque ferunt illi pictos signantia fastos,
tu quoque cum Druso praemia fratre feres.
Caesaris arma canant alii, nos Caesaris aras,
et quoscunque sacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum."

Ceterum Riesio praef. p. VI. et ann. phil. a. 1874 p. 565 eadem quae nobis sententia probatur, sed poëtam non, quod Augusto opus sacraverit, alloqui eum indicat, sed hoc „nihil esse nisi formulam quandam" opinatur, „qua eadem ad Musas quoque et deos omnes et famam livoremque et Romam urbem se convertere soleat." cfr. p. 13. At quomodo versus II. 17 sq. explicemus, nisi pertinent ad dedicationem? Praeterea obstat tota huius prologi condicio, de qua primus accuratius disseruit Peter in epistula critica, quam de Fastorum locis quibusdam conscripsit. Inde enim ille proficiscitur, quod poëta v. II. 3 dicit:

---

*) Versus qui antecedunt 79 sq:
„huius erat Solymus, Phrygia comes unus ab Ida,
a quo Sulmonis moenia nomen habent"
omittere malui quam proferre, dissentiens a Riesio et Goldscheidero, Petero assentiens nihil ex eis de Fastorum retractatione perspici posse.

„nunc primum velis, elegi, maioribus itis.“

Hoc autem quadrare negat ad eam rem, quod iam primo libro eodem metro usus eadem Ovidius tractaverat, quae altero et eis qui sequuntur, tractare in animo habet. Deinde ut summam poëtae neglegentiam animadvertamus, optimo iure monet, qui quamquam praecedat versus:

„alter ut hic mensis, sic liber alter eat“

verba „nunc primum“ ad omnes Fastorum libros referri velit. Denique hunc cum primi libri prologo comparans magnam inter eos intercedere similitudinem ostendit. Ex his igitur rebus Peter concludit „alterum pologum, toti operi destinatum, Tomis retractatum et in hanc formam redactum esse, quam nunc initio primi libri scriptam videremus“ (l. c. p. 13), alterum autem post Ovidii mortem, ab eo, qui Fastos edidisset, esse inventum et falso in initio libri proximi positum; illo eiecto omnia plane procedere. Concedendum esse opinor hanc Peteri coniecturam, ut singularem prae se ferat sagacitatem, ita summam habere veri similitudinem. Hoc quidem constat in libri alterius prologo esse difficultates, quae quomodo aliter tolli possint nescitur, nam ea, quae Riesius ann. phil. a. 1874 p. 569 sq. contra Peterum attulit, levissima sunt; refellitur a Petero ann. phil. a. 1875 p. 505. Eidem Goldscheider frustra repugnat (l. c. p. 18 sq), qui „admirans felicitatem in illustranda eadem Fastorum ratione“ magnam negat esse similitudinem inter primos libri primi et alterius versus et vv. II. 3—18 ad dedicationem minime spectare contendit. Concedit igitur Goldscheider Fastorum rationem bis illustrari — num repetitionem feramus molestam, non quaerendum est —; idem cum nihil proferre potuerit contra cetera Peteri argumenta — potius ipse profitetur alterius libri prologo „opponi Fastos prioribus carminibus, non secundum Fastorum librum primo“ —, vix cuiquam persuadeat vv. II. 3 sqq. poëtam inseruisse initio secundi libri, quippe „qui prooemio careret, quod ceteris libris praepositum esset.“ Quod autem Goldscheider illos versus negat ad dedicationem spectare, concedendum est in alterius libri prologo multa dici de metro elegiaco, quae abesse

malis, tamen cur vv. 15 sqq. non pertineant ad dedicationem, non video.*)

Aliter se habent vv. II. 63 sqq:

„templorum positor, templorum sancte repostor,
sit superis, opto, mutua cura tui.
dent tibi caelestes, quos tu caelestibus, annos
proque tua maneant in statione domo"

et vv. II. 127 sq:

„sancte pater patriae, tibi plebs, tibi curia nomen
hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques."

Hos sane locos nihil valere ad dedicationem haud scio an Riesius recte iudicaverit; addi potest v. III. 428:

„vivite inextincti, flammaque duxque, precor."

Contra, si quid sentio, Riesius prorsus falso accepit vv. III. 115 sq:

„sed erat reverentia faeno,
quantam nunc aquilas cernis habere tuas."

Sic enim ille existimat „tuas" pronomen fortasse spectare ad Martem (ed. part. III. p. VI. adn.); at cum prorsus haec opinio abhorreat a ratione grammatica, equidem me nescire profiteor, quomodo in eam vir doctus inciderit. Sine dubio de nullo nisi de Germanico aut de Augusto cogitari debet. Atqui aquilae quasi assignari possunt nemini nisi ei, qui summam imperii tenet militaris. Ad Augustum igitur illi versus referendi sunt. Quod si ita est, cum de apostropha, quae vocatur, omnino cogitari nequeat, ille quoque locus spectat ad Fastos Augusto dedicatos.

Colligamus animo, quae disseruimus! Et Germanicum igitur videmus et Augustum affari poëtam in Fastis et ita affari, ut ad dedicationem verba pertineant. Itaque existit hoc loco quaestio subdifficilis dubitaturque, qui libri in universum Augusto, qui sacrati sint Germanico; sed quoniam ad hunc vidimus se

---

*) Peteri coniectura etiam irritum fit id, quod Goldscheider (l. c. p. 18) de opere non uno tenore confecto concludit ex discrepantia, quae est inter I. 2 „lapsaque sub terras ortaque signa canam"

et I. 295 sqq:

„Quis vetat et stellas, ut quaeque oriturque caditque
dicere? Promissi pars sit et ipsa mei" sqq.

Nam sane vv. I. 295 sqq. quadrant ad prologum libri alterius, in quo nihil est de astrologia.

convertere Ovidium in libro altero et tertio, ad illum in primo et quarto, quaestio non ita perspicua est, cum facile appareat non potuisse poetam primum quartumque librum Augusto, secundum autem et tertium Germanico dedicare, neque quidquam restat — si quidem rem ad certam rationem referre volumus — nisi ut difficultates, quas unum vel alterum locum praebere necesse est, explicatione probabili removeamus. Atqui si vv. IV. 81 sqq. nihil valere ad diiudicandam dedicationis condicionem doceri poterit, quid obstabit, quominus librum primum Germanico, reliquos Augusto sacratos esse censeamus? Hoc igitur haud ignorans Merkelius illos versus a sententiarum cohaerentia prorsus abhorrere primus animadvertit, unde profectus eos per occasionem Tomis additos esse statuit sententiarum cohaerentiae ratione non habita (prolegg. pp. 257 sq.) Mirum sane est, quod Loersius de desperata ope a Merkelio adhibita fabulatur — sit venia verbo — illum existimare ratus locum, de quo agitur, „ab aliena manu postmodo obtrusum aut undeunde sumptum temere huc transpositum esse et inculcatum“ (l. c. p. 6).*) Quod si a Merkelio res recte explanata est, versum I. 31:

„est tamen et ratio Caesar, quae moverit illum“

et versum I. 701: „gratia dis domuique tuae . . . .“

ut referamus ad Germanicum, ratio postulat, contra ad Augustum vv. IV. 19 sqq:

„si qua tamen pars te de Fastis tangere debet,
Caesar in Aprili, quo tenearis, habes.
hic ad te magna descendit imagine mensis
et fit adoptiva nobilitate tuus“

*) Goldscheider (l. c. pp 22 sq) et ipsum se nescire fatetur „quomodo intellegendum sit aliquid per occasionem inseri;“ sed cum ille dicat „apparet igitur eum [Ovidium] hunc librum iterum legisse, cogitando persecutum esse, quaedam inseruisse, ubi commodissimum esset“ — id quod minime argumentis confirmare potest —, cur nos non cum Merkelio et Petero meliore probabilitate statuamus Ovidium illa verba addidisse, cum quando Fastos tamquam cursim legeret et ipsa patriae commemoratione praesentis miserrimi status admoneretur, id quod condicione quidem libri probatur?

et vv. VI. 763 sq:

„Non ego te, quamvis properabis vincere, Caesar,
si vetet auspicium, signa movere velim."

Attamen non nego hanc ratiocinationem perquam dubiam esse futuram et incertam, nisi etiam alia accederent inter Fastorum librum primum et reliquos discrimina, quae ut cum dedicatione mutata cohaerent, ita omnino ad Fastos retractatos spectant. Sed priusquam ea proferam, paucis refellendus est Riesius, qui ea, quae modo disseruimus, ita reicere posse sibi videtur, ut Ovidium etiam tertia, quae vocatur, persona de Augusto in Fastis saepe uti dicat (ann. phil. a. 1874, p. 564); at neque opus est ubique dedicationis rationem habere, si idem liber, qui alicui inscribitur, eiusdem laudes continet, et Ovidius in altero Tristium libro, quem ad Augustum scriptum esse constat, non nunquam idem sibi vindicat cfr. v. 8,23, 124, 230, 335. Sane quidem in Fastis illam rem dicit Riesius inveniri saepissime, in secundo Tristium libro nonnunquam, cum ibidem poëta adhibeat alteram personam multo saepius. At haec argumentatio non satis firma est: certe si tantum semel in illo libro poëta Augustum non allocutus esset, sed tertiam adhibens personam commemorasset, idem de Fastis statui posse in aperto esset. Quod autem multo saepius in Tristium libro secundo Ovidius Augustum alloquitur, id inde repetendum esse apparet, quod hunc librum ad Augustum misit, ut veniam ab eo peteret, Fastos autem dedicavit quidem Augusto, sed scripsit populo Romano. Quare etiam ea, quae Riesius (ann. phil. a. 1874, p. 565) ex v. I. 13 de vv. II. 15 sq. concludit, irrita fiunt. Etenim sic fere, nisi fallor, ille ratiocinatur: „tertia adhiberi persona non potest de eo, cui Fasti dedicati sunt; atqui v. I. 13, quem tertia usus persona poëta scripsit, idem continet atque vv. II. 15 sq, quibus Augustum poëta a f f a t u r; ergo fieri nequit, ut ex his versibus quidquam sequatur de Fastorum dedicatione, sed exstat ibi, quae vocatur, apostropha rhetorica." De qua argumentatione, cum ex tertiae personae usu nihil evinci posse docuerim, plura verba non facio.

Iam re de dedicatione mutata explorata, ut mihi propositum est, disputabo

B. De discrepantia temporum in Fastis significatorum.

a. alios in exilio, Romae alios locos Ovidius scripsit.

α. quos scripserit Tomis.

Primum igitur profero vv. IV. 81 sqq. (cfr. p. 9), sequantur:
I. 67 sq, cfr. p. 18 sq.
I. 283—288:

„Dixit [Janus] et attollens oculos diversa tuentes
aspexit toto quidquid in orbe fuit:
pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi,
tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
Jane, face aeternos pacem pacisque ministros,
neve suum praesta deserat auctor opus.“

Commemoratur h. l. triumphus, quem Germanicus „L. Caecilio L. Pomponio consulibus (h. e. anno p Ch. 17) a. d. VII. kal. Junias“ egit „de Cheruscis, Chattisque et Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt“ (Tac. ann. II. 41). Pacem autem post illum triumphum fuisse et ex verbis ipsis supra allatis et ex his locis apparet: Tac. ann. II. 26: „simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste nonnisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset“, ib. II. 41: „bellumque, quia conficere [Germanicus] prohibitus erat, pro confecto accipiebatur“ (Merk. prolegg. p. 264). Itaque versus, de quibus agimus, in exilio facti sunt post mortem Augusti.

I. 389 sq:

„exta canum vidi Triviae libare Sapaeos,
et quicunque tuas accolit, Haeme, nives.“

Ovidium, priusquam relegaretur, in finibus Sapaeorum et accolarum Haemi fuisse minime probabile est, cum eum illas regiones Tomis finitimas (e. P. II. 9, 4) in eis itineribus, quorum ipse e. P. II. 10, 21 et Trist. I. 2, 77 mentionem

facit — neque alia nobis nota sunt —, adiisse vix quisquam sibi persuadeat; ceterum si adiisset, id non praetermissurum fuisse eum credibile sit. Quapropter recte coniecit Merkelius Ovidium Sapaeos et Haemi accolas vidisse in ipso itinere, quod Tomos faciebat, cfr. Trist. I. 10. 23: „nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos.“ Loersius sane de eis, quae modo de Ovidii itineribus exposui, strictim levi mota dubitatione verbis „exta canum vidi“ quidquam veri subesse negat. Ovidium enim saepe talia dicit „finxisse ac novum hoc artificium invenisse, quo carmen suum adornaret atque instrueret eique et novitatem et varietatem et motum et actionem atque inde suavitatem compararet“ (l. c. p. 7 sqq). At cur poëtae verbis non credamus, non video; cfr. de Trist. II. 551 sq. p. 6 sq. Accedit, quod omnes alii loci spectant ad ea, quae Romae inque regione finitima poëta se ipsum vidisse vel audivisse dicit: verum hoc loco agitur de eis regionibus, quas Ovidium ante exilium nemo Romanus vidisse credebat. At similiter poëta se a dis doctum esse fingit, quod idem incredibile erat. At hae res, quas Loersius sane confundit, separandae et segregandae sunt; etenim aliud est, num poëta a dis se doctum esse poetice fingat, aliud, num mentiatur se vidisse regiones nunquam visas neque ita facile videndas.

I. 481—486:

„sic erat in fatis nec te tua culpa fugavit,
sed deus; offenso pulsus es urbe deo.
non meriti poenam pateris, sed numinis iram.
est aliquid magnis crimen abesse malis.
conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
pectora pro facto spemque metumque suo.“

Credideris poëtam ipsius animum his verbis consolari, non Carmentam animum Evandri; adeo omnia quadrant ad exilium Ovidii. Recte igitur vidit Peter locum exilio assignandum esse. Quid? Ego modum coniciendi excedere mihi non videor, cum omnes versus, quibus Carmenta filium admonet, ut viriliter ferat fortunam adversam, eidem tempori tribuo; nam illos sex versus, cum arcte cohaereant cum eis, qui antecedunt,

et qui sequuntur, solos Tomis poëta non addidit, versus autem 479—499 si intercidunt, omnia plane procedunt. Atque re vera satis supervacanei sunt, cum cur poëta causas interpretans Carmentalium matrem multis verbis consolantem faciat Evandrum, vix appareat. Tum eisdem, quibus hic, exemplis Ovidius utitur in tertia libri primi epistula e. P.; de Cadmo cfr. v. 77: „liquit Agenoridas Sidonia moenia Cadmus"; de Tydeo v. 79: „venit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus"; de Jasone 75 sq: „exul ab Haemonia Pirenida cessit ad undam, — quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua".

I. 533—536:

„inde nepos natusque dei, licet ipse recuset,
pondera caelesti mente paterna feret.
utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
sic Augusta novum Julia nomen erit."

Nepos ille natusque dei (v. 533) est Tiberius, natus (adoptivus) Augusti, nepos Caesaris; dicit igitur h. l. poëta idem, quod Tacitus narrat ann. I. 11: „versae inde ad Tiberium preces, et ille varia edisserebat de magnitudine imperii, sua modestia" ctt.; cfr. e. P. IV. 13, 27 sq:

„esse parem virtute patri, qui frena rogatus
saepe recusati ceperit imperii."

De vv. 535 sq. cfr. Tac. ann. I. 8: „nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti, cuius testamentum inlatum per virgines Vestae Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Juliam nomenque Augustum adsumebatur." Ex his locis vv. 533 sqq. Tomis exaratos esse luce clarius perspicitur.

I. 540:

„felix exilium cui locus ille fuit."

His verbis ad Evandrum, qui ex patria pulsus in Latium pervenerat, referendis significare poëta ipsius quoque exilium omnes fere — quamquam Riesius (ann. phil. 1874, p. 568) et Goldscheider (l. c. p. 16) non sine dubitatione hanc sententiam tuentur — inter se consentiunt. Loersius solus Ovidium „communem" opinatur „et vulgarem sortem exulantium spectantem et simul cogitatione oppidi ab Evandro in nova patria sua

conditi in illam exclamationem erumpere." A quo viro dissentio ideo — quae res adhuc prorsus neglecta est —, quod Ovidius, dum Romae quidem versabatur, vix habebat, cur Evandrum felicem fuisse diceret, cui ille locus exilii esset: certe Evander potius patria cesserat, quam in Latium relegatus erat. Itaque si Ovidium statuamus illa verba addidisse Romae, vix intellegatur, cur addiderit: ab exule cur inserta sint Ovidio pentametro priore deleto, nemo non videt.*) Aliter res se habet de exclamatione, quae exstat v. VI 666:

„exilium quodam tempore Tibur erat."

Nam similitudine, quae intercedit inter hunc versum et vv. e. P. I 3. 81 sq.:

„quid referam veteres Romanae gentis, apud quos
exulibus tellus ultima Tibur erat?"

non modo nihil comprobatur, sed etiam hoc ipso epistularum loco docemur Tibur re vera remotissimum veterum Romanorum exilium fuisse, et poterat Ovidius illo Fastorum loco iam Romae hoc addere ad lectorem docendum. Quare equidem versu VI 666 exilii Ovidii rationem haberi negaverim et accedo ad sententiam Merkelii (prolegg p. 258 et p. 262).

De vv. I 613 sqq. cfr. p. 23 sq.

I 637—650. 639 sq.:

„nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam,
nunc te sacratae constituere manus";

vv. 645 sqq.:

„causa recens melior, passos Germania crines
porrigit auspiciis, dux venerande, tuis.
inde triumphatae libasti munera gentis,
templaque fecisti, quam colis ipse, deae."

Mentionem h. l. facit poëta aedis Concordiae anno X p. Ch. n. a Tiberio P. Dolabellla C. Silano consulibus dedicatae, „uti gravis testis Verrius perscripsit in Fastis Praenestinis." (Merk. prolegg. p. 125).

---

*) Verba postea inserta esse vel eo probabile sit, quod nunc satis languida est repetitio „fuit" verbi in eis, quae sequuntur, „nec mora longa fuit", quam ab initio exstitisse non veri simile esse arbitror.

I, 709—724; 711 sqq.:

„frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades et toto mitis in orbe mane.
dum desint hostes, desit quoque causa triumphi.
tu ducibus bello gloria maior eris;"

vv. 721 sq.:

„utque domus, quae praestat eam, cum pace perennet,
ad pia propensos vota rogate deos."

Ad hunc locum addo vv. I 67 sq., quos, quia per se ipsi non apte diiudicari possunt, huc distuli:

„dexter ades ducibus, quorum secura labore
otia terra ferax, otia pontus habet".

Denique reminiscaris velim ea, quae de vv. I 285 sqq. (p. 14 sq.) disputata sunt. Hos locos collegi, quod, cum ubique agatur de pace, de eadem agi pace existimo. Nam cum neque quidquam inter eos intercedat discriminis et ubique pax intellegenda sit externa (cfr. v. 712. „toto in orbe", v. 68. „terra-pontus" h. e. terra marique), poëtam incredibile est ter verba facere de pace in eodem libro neque de eadem cogitare. Itaqne quoniam de vv. 285 sqq. res in aperto est, reliqui quoque loci ad pacem Germanici triumpho Germanico paratam pertinent. Quae si recte disputata sunt, vv. I 709 sqq. et vv. I 67 sq, exilium quasi sibi vindicat neque operae pretium est eadem repetere, quibus Merkelius (prolegg. p. 265) inde a Christo nato — et prius poêtam Fastos condere coepisse minime veri simile — usque ad id tempus, quo Ovidius relegatus est, nullum annum „sine bello fuisse" docet.*) Sed forsitan mireris, quod vv. I 697—704:

„Bella diu tenuere viros. erat aptior ensis
vomere. cedebat taurus arator equo.
sarcula cessabant, versique in pila ligones,
factaque de rastri pondere cassis erat.

*) Dubitari potest, utrum lauri dicantur frondes Actiacae v. 710 propter victoriam ipsam Actiacam — victoris enim sunt lauri — an propter templum magnificentissimum in promontorio Actiaco Apollinis, cui lauri sacratae sunt; cf. Met. 13, 714 Apollo Actiacus, Verg. Aen. 8, 704 Apollo Actius, Fast. VI. 91 laurus Apollinea. vide lex. Georgesianum.

gratia dis domuique tuae, religata catenis
iam pridem vestro sub pede bella iacent.
sub iuga bos veniat, sub terras semen aratas.
pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres."

silentio praetermisi, quem locum primo quidem obtutu ad eandem pacem pertinere putabis; at si diligentius in illos versus inquiremus, ibi rem esse ex eis, quae antecedunt, intellegemus de bellis civilibus confectis, pacem igitur designari domesticam; cfr. v. 702 „iam pridem." Quare num Romani, cum poëta illos scripsit, pace usi sint externa, ex eis ipsis omnino sciri nequit — ita ut nec Riesio assentiar (ann. phil. a. 1874 p. 566), qui omnibus his locis de pace post bella civilia ab Augusto restituta cogitat, nec Petero (ann. phil. a 1875 p. 503 adn.), qui de quarto hoc loco idem sentit, quod nos de tribus illis.*)

Ut ex vv. I 697 sqq. nihil cogitur de exilii tempore, ita etiam vv. I 85 sq.:

„Juppiter arce sua totum cum spectat in orbem,
nil nisi Romanum quod tueatur, habet",

quos Peter (ann. phil. a 1875 p. 502 sq., ed. II. part. II. p. 7) Tomis scriptos esse vult, per se ipsi satis dubii sunt; nam quamquam totus orbis terrarum tum non fuit Romanorum, tamen scriptores Romani hoc haud ita raro dicebant, velut Trist. III 7, 51 sq.; idem opponit Goldscheider (l. c. p. 16).

---

*) Goldscheider (l. c. p. 15): „hic locus ad exilium pertinet propter allocutionem Germanici; nam non puto Ovidium in allocutione Augusti ita mentionem ipsius imperatoris neglecturum fuisse." De re consentio, causa satis improbabilis est et quae vix cuiquam probetur, si quidem poëtae licet in libro alicui dedicato eum alloqui adulationibus et honoribus etiam non additis, Magis etiam miror ea, quae ille deinde disputat „duplicem pacem ab Ovidio tam subtiliter non distingui, intellegendam esse pacem ab Augusto Romanis datam sempiternam, quam imperator eiusque domus perpetuo defendant et confirment." Quando enim erat pax illa sempiterna? quo iure Ovidius duas illas paces — externam et domesticam — confundere et de perpetua pace fabulari potuit? Ceterum cur verba „domuique tuae" ad complures referenda sint, non de Augusto solo intellegi possint, nescio; scilicet poëta domui Germanici gratias agit, quod Augustus hoc genere ortus atrocissima illa bella civilia composuerat.

β. quos locos poëta scripserit Romae.

Difficilius profecto est ad quaerendum, quos versus poëta exaraverit Romae, quod etiam ea, quae, priusquam relegaretur, acciderant, Tomis scribere ei licuit; cave igitur quidquam efficias ex v. III. 541 sq.: „occurri nuper. visa est mihi digna relatu pompa" vel ex III 661 sq.: „haec quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures — fama" vel ex IV 377 sq.: „tertia lux (memini) ludis erat, ac mihi quidam" ctt. vel ex IV 905 „hac mihi Nomento Romam cum luce redirem" vel ex VI 395 sqq.: „forte revertebar festis Vestalibus illa" ctt. Unum tamen locum repperi, quem poëta literis mandavit Romae: v. III. 10: „ut huic urbi semina digna dares".

Falso huc rettulerunt Riesius et alii v. I 243: „hic ubi nunc Roma est", v. I 582: „hic ubi pars urbis de bove nomen habet," v. II. 280: „huc, ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat" — vulgo legitur „hic, ubi", ego ut sententiarum cohaerentia evadat cum versu 279: „transtulit Evander silvestria numina secum" legendum esse conicio „huc, ubi" —, v. V 93: „hic, ubi nunc Roma est"; nam „hic ubi" vel „huc, ubi" est „da, wo, dahin wo" neque scriptorem existimari debet — quam sane opinionem multi tuentur — eo ipso loco esse, de quo illis verbis utitur: quid enim? si ita censeremus, Ovidium versum I 582 in foro boario scripsisse statuendum esset; etiam cfr. I 258, VI. 792. Poëta potius, ut ipsi quasi rem videamus, operam dare solet, quapropter loquitur δεικτικῶς.

γ. de locis paullo incertioribus.

Jam animadverteris, opinor, uno excepto omnes locos Tomis compositos in libro primo inesse, neque dubium est, quin hoc certa ratione cohaereat cum ea re, quod Germanicus eodem loco excepto non appellatur nisi in libro primo. Quod ita esse magis etiam tibi persuadebo, si disseruero de eis Fastorum locis, qui aut ad mortuum aut ad vivum pertinent Augustum. Sed priusquam ad hanc partem disputationis transeam, postquam pauca locutus ero de primi libri prologo, de nonnullis eiusdem libri locis disputabo, qui et ipsi fortasse Tomis exarati

paullo vel multo incertiores sunt eis, quos supra enumeravi. Versus igitur I 1—26 etiam omissis eis, quae de dedicatione mutata perscrutati sumus, exilium tamquam redolent. Poëta enim et animum valde demissum prae se fert et Germanicum maxime adulatur; cfr. v. 3 „pacato vultu“, v. 4 „timidae navis“, v. 5 „levem honorem“, v. 16 „pavidos excute metus“, v. 17 sq.: „da mihi te placidum, dederis in carmina vires: — ingenium vultu statque caditque tuo“; vv. 21 sqq.:

„quae sit enim culti facundia sensimus oris,
civica pro trepidis cum tulit arma reis.
scimus et, ad nostras cum te tulit impetus artes,
ingenii currant flumina quanta tui.“

Neque haec coniectura, quae etiam eo firmatur, quod de vv. II 3 sqq., qui eadem fere continent, idem dici non potest, reicitur Riesii offensione, qui (ann. phil. a. 1874. p. 567) in libri primi prologo nonnulla desiderat de poëtae exilio, de ope a Germanico exspectata deque huius viri gloria militari — haec enim omnia a Fastis ipsis abhorrent. Sine dubio igitur primi libri prologus Tomis scriptus est; verum multo incertius est, quod Peter vv. 297 sqq., quibus astrologorum studium laudibus effertur, ab Ovidio exule suspicatur factos esse in honorem Germanici; res enim tota vacillat et claudicat, quoniam a Germanico, Tiberii filio adoptivo, Aratum Latine translatum esse non inter omnes constat. Paullo cautius iudico de vv. 223 sqq.:

„nos quoque templa iuvant, quamvis antiqua probemus,
aurea. maiestas convenit ista deo.
laudamus veteres, sed nostris utimur annis:
mos tamen est aeque dignus uterque coli.“

Fusius mihi de h. l. disserendum est, cum, quomodo interpretandus sit, ab omnibus, quantum scio, dissentiam. Atque verba facit Janus, invocatus a poëta, ut explanaret, cur kal. Jan. Romani stipem inter se dare consuevissent (vv. 189 sq.: „stipis adice causam — pars mihi de festo ne labet ulla tuo.“) Qui respondet vv. 191—226. Versus igitur, quos attuli, a poëta relegato insertos esse duabus de causis Peter affirmat;

primum enim illos repugnare opinatur eis, quae paucis versibus ante de antiquorum temporum simplicitate dicta sint, deinde non consentire cum v. 257.:

„cum tot sint iani, cur stas sacratus in uno?"

Sed rem accuratius discas velim ex eis, quae Peter ad h. l. in altera editionis parte adnotavit. Cum Petero autem potissimum mihi res est, quod ea, quae Merkelius (prolegg. p. 263) adumbravit, pluribus verbis exposuit. Argumentum igitur priore loco allatnm ita refellere animum induxi, ut paucis, quae sit sententiarum inde a v. 191 cohaerentia, doceam. Atque Janum sic fere loquentem facit Ovidius: „Quantopere tibi tua saecula ignota sunt (de verbo fallendi v. 191 cfr. Trist. I 2,97, IV 2,17), qui „dulcia" et „stipem" quasi pro rebus inter se oppositis habere videaris. Scito pecuniae quoque quandam dulcedinem assignandam esse. Etenim iam ipso Saturno regnante lucro omnes operam dederunt. Paullatim crevit „sacra illa auri fames", nunc est summa. Nihilo minus quaeris, num stipis auspicium utile sit? Aera dare olim mos erat, nunc ea sunt omen deterius, melius omen est aurum. Mihi quoque, ut hoc addam, huius saeculi usus probatur; templa enim aurea me iuvant, quamquam antiqua non sperno." Ex hac interpretatione perspexeris et vv. 198 sqq, qui sunt de antiquorum temporum simplicitate, non satis respondere eis, quae antecedunt et sequuntur — digreditur potius Ovidius, ut fere solet, de eis, quae exponere in animo habet — et vv. 223 sqq, de quibus quaestionem instituimus, non arcte cum eis, qui praecedunt, cohaerere. Discrepantia autem inter duos locos non est.

Venio ad alterum Peteri argumentum. Proficiscitur igitur huius argumentatio ex v. 257: ab eodem refutatio incipiat. Hunc enim versum vir doctissimus sic explicat, ut ex eo unam tantummodo Jani statuam Ovidio notam fuisse dicat apparere. At si verba ipsa et versum, qui sequitur, spectamus, hoc solum discimus, in uno iano Jano tribui honores divinos („sacratus"), quem ianum situm esse, ubi ille „templa duobus foris iuncta" habeat. Cfr. quod respondet Janus v. 275 sq.:

„Ara mihi posita est parvo coniuncta sacello:
haec adolet flammis cum strue farra suis“.

Reliqui autem iani erant nihil nisi „transitiones perviae“ (Cic. de nat. d. II 27): non erat in eis ara, non Jano sacrificabatur. Accedit, quod in templis quidem omnibus Jano fuisse aras eique sacrificatum esse consentaneum est; tum Ovidius dicere non potuit „tot iani“, si de tribus solis templis cogitasset, quae Romae fuerunt (Pet. ed. part. II ad h. l.). Quid igitur? Interrogatio v. 257: „cur stas sacratus in uno?“ non pertinet ad templum Jani, sed ad „transitionem perviam“ cum sacello coniunctam, respondetur v. 275 non de templo Jani, sed de „transitione pervia“. Quae si ita sunt, quid v. 257, qui est de ianis, ad vv. 223 sqq., qui de Jani templis? Sed ut concedam Petero poëtam tum, cum v. 257 scripsit, de dedicatione templi, quod iuxta theatrum Marcelli erat, nihil proferre potuisse, rem cum Riesio ita expedio, ut restaurandi illius templi eo tempore, quo v. 257 scriptus est, initium statuam factum esse, cui coniecturae nihil obstat. Nam cum initio facto futura eius pulchritudo haud dubie iam appareret, optimo iure Janus dixit: „nos templa aurea iuvant“.

b. Ad Augustum mortuum loci alii, alii ad Augustum vivum spectant.

α. hi ad Augustum mortuum.

Deinceps de eis locis placet disputare, e quibus Augustum aut vivum aut mortuum esse elucet. Hi igitur loci, quos eosdem in exilio exaratos esse supra docui (p. 14 sqq), post Augusti mortem scripti sunt: IV. 81 sqq., I. 67, I. 283 sqq., I. 389 sq., I. 481 sq., I. 533 sqq., I. 540, I. 637 sqq., I. 709 sqq. Unum addo, quem, quo melius diiudicaretur, hic quam illic tractare malui: I. 613 sqq.:

„Augeat imperium nostri ducis, augeat annos,
protegat et vestras querna corona fores.
auspicibusque deis tanti cognominis heres
omine suscipiat, quo pater, orbis onus.“

Quis est ille dux? quis est heres? Peter miro quodem casu deceptus et Goldscheider (l. c. p. 23) heredem Tiberium

esse putant, ducem igitur esse Augustum; videtur Peter neglexisse hoc prorsus abhorrere ab ea, quam de Fastorum libri primi condicione habet, sententia, id qnod eo magis miror, cum illa interpretatio tantum absit ut ulla re comprobetur, ut paene eis ipsis, quae adhuc de Fastorum retractatione enucleavimus, reiciatur; si qua dubitatio restabit, infra removebitur. Accedit, quod non Augustus omine nominis Augusti onus orbis suscepit, sed post onus demum susceptum eo nomine ornatus est, Tiberius autem sane eo omine suscepit orbem regendum. Tiberius igitur est ille dux et pater. Etenim quod fortasse oppones Caligulam „tanti cognominis heredem“ non fuisse Tiberii filium (v. 616 „quo pater“), nemo, quoad Ovidius vixit, illum heredem exspectavit, sed Drusum, Tiberii filium e Vipsania Agrippina. Etiam v. 608: „hic (Augustus) socium summo cum Jove nomen habet“ ad hanc explicationem quadrat. Nam ut etiamnunc dicere possumus: „Ludovicus IX, rex Francogallorum, socium cum Deo ipso nomen habet“ — unde minime efficitur Ludovicum IX. vivere —, sic Augustum vivum esse ex illo versu minime apparet.

β. hi loci ad Augustum vivum spectant.

II. 15 sqq. cfr. p. 9 sqq.

II. 59 sqq. v. 65:

„dent tibi caelestes, quos tu caelestibus, annos.“

II. 119 sqq. vv. 131 sq.:

„hoc tu per terras, quod in aethere Juppiter alto,
nomen habes: hominum tu pater, ille deum.“

II. 637 sq.:

„et bene vos, bene te, patriae pater, optime Caesar,
dicite suffuso sub sua verba mero.“ *)

III. 9 sq.; cfr. p. 20.

III. 115 sq.; cfr. p. 11 sq.

III. 415 sqq.; vv. 426 sqq.:

---

*) Quominus duos locos (II. 119 sqq. et 637 sq.) „etiam post mortem Augusti servari potuisse“ (Goldscheider l. c. p. 23) statuamus, verba ipsa obstant.

(Augusti) „cognatum, Vesta, tuere caput.
quos sancta fovet illa manu, bene vivitis ignes.
vivite inextincti, flammaque duxque, precor.“

De vv. IV 19 sqq cfr. p. 12.

IV 407 sq.: „vos, orate, coloni,
perpetuam pacem pacificumque ducem.“

Cum hic res sit de agricolis eorumque segete, non dubium est, quin pax intellegenda sit domestica, quam paravit Augustus; cfr. p. 18 sq.; certe num bella gererentur externa, colonorum parum intererat.

IV. 859:

„cuncta regas (Roma) et sis magno sub Caesare semper.“

Hunc locum ad Germanicum vel Tiberium referri posse omnes praeter Goldscheiderum (l. c. p. 23) suo iure negant. De Germanico hoc facile quis intellegit et de Tiberio nusquam in Fastorum libris quinque extremis ut imperatore loquitur poëta.

IV 949 sqq; 951 sqq:

„Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit,
quod superest illis, tertius ipse tenet.
state Palatinae laurus, praetextaque quercu
stet domus. aeternos tres habet una deos.“

Cfr. quae adn. Peter ad h. l. *)

V 545 sqq; vv. 585 sqq:

„signa, decus belli, Parthus Romana tenebat,
Romanaeque aquilae signifer hostis erat.
isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Caesaris Ausoniae protegerentur opes.“

Quod si locos huc pertinentes omnes collegi — neque hoc dubito —, nullus primi libri spectat ad Augustum vivum, sed omnes, quibus quidem de tempore aliquid certi noscamus, ad Augustum mortuum, nullus reliquorum librorum — uno excepto IV 81 sqq. — Augusto mortuo, permulti eo vivo scripti sunt.

---

*) Quod non ita pauci libri IV loci huc referendi sunt, cfr. eiusdem vv. 19 sq.

c. concluditur argumentatio.

Jam, ut singulas disputationis partes melius perspiciamus, ea, quae adhuc exploravimus, animo complectamur; sunt haec:

I. Trist. II. 549 sqq et Fast. I 1 sqq. inter se discrepant;

II. Germanicus appellatur in primo Fastorum libro quinquies (vv. I 1 sqq., 63 sq., 285 sq., 589 sq., 614), semel in reliquis (IV 81 sq.); contra Augustus in primo libro non appellatur, in reliquis nonnunquam;

III. in primo libro novem loci (vv. 67 sq., 283 sqq., 389 sq, 479 sqq., 533 sqq., 540, 613 sqq., 637 sqq., 709 sqq.) referendi sunt ad poëtam relegatum, unus in reliquis (IV 81 sq); unum locum Romae scriptum esse apparet isque in tertio libro inest (III 10);

IV. nullus primi libri locus pertinet ad Augustum vivum, sed omnes, quibus quidem tempus satis definiatur, ad eum mortuum, contra multi reliquorum librorum ad Augustum vivum spectant; unus obstat IV 81 sq.

Concedes, opinor, casu accidisse non posse, ut et dedicationis et temporum discrimen intercederet inter primum librum et reliquos; potius dedicationis mutatio (I. II.) — et operis retractatio, qualis quidem ex illa pendebat — a poëta Tomis (III) post mortem Augusti (IV) instituta ad nullum nisi primum librum pertinet (II. III. IV). Tempus etiam accuratius definiri potest, si pacis non raro in libro Fastorum primo commemoratae rationem habemus. Quae cum fuerit anno 17 p. Ch. n., eodem a poëta retractationem coeptam esse veri simile est; ex eadem coniectura patet, cur solus liber primus retractatus sit; paullo enim post Ovidius mortuus est. Quae si ita sunt, versus IV 81 sqq. per occasionem forte oblatam Tomis insertos esse neque quidquam ab diiudicandam Fastorum condicionem inde cogi recte Merkelius vidit; cfr. p. 12; item VI 92

„placidi numen opusque ducis."

et VI 763

„non ego te, quamvis properabis vincere, Caesar" ctt.

intellegendus est Augustus (cfr. p. 13).

C. De levioribus indiciis retractationis.

Eis quae exposuimus, Fastorum dedicationem mutatam et ideo retractationem Tomis institutam esse comprobavimus. Transimus igitur ad ultimam partem commentationis de retractatione Fastorum ipsa, quaerentes, num primus liber perpolitus, reliqui non sint perpoliti. Horum igitur librorum hos locos Merkelius in medium profert, quippe qui lima careant: II 359:

„adde peregrinis causas, mea Musa, Latinas."

Plures hoc versu causas ille dicit promitti, unam commemorari. At — ut taceam de Heinsii coniectura „causam" — recte dicit Peter h. l. plurali uti Ovidium, simul respicientem, quae fuerit causa Latina nominis „Lupercalis" (vv. 381 sqq.), quam ad explicationem eo libentius accedo, quod poëtae versus ratione servata scribere licuit: „causam". Neque in eo cum Merkelio offendo, quod Ovidius v. III 442 sq.:

„arsit et in solida fixus Olympus humo.
stat quoque capra simul."

iuxta Olympum capram commemorat: hae sunt sane minutiae. Etiam quae idem (prolegg. pp. 73 sq.) disserit de vv. IV 901 sqq.:

„sex ubi, quae restant, luces Aprilis habebit,
in medio cursu tempora veris erunt,
et frustra pecudem quaeres Athamantidos Helles,
signaque dant imbres, exoriturque Canis."

reicio: oppono cum Petero haec Columellae verba (X. 2,36): „XI. Kal. Maias ver bipartitur, pluvia et nonnunquam grando". Melius certe argumentum ille vir doctus sumpsit ex vv. IV 948: „nunc me grandius urget opus" et ex v. V 148; „interea Diva canenda Bona est"; neque enim negari potest plura his locis poëtam promittere quam praestare, cuius rei causam haud improbabilem habemus, si posteriores quinque libros statuimus non correctos esse. Nam quo iure Loersius verba „grandius opus" (IV 948) ad omnes versus referat, qui sunt inter v. IV 948 et V 183, nescitur. Denique Merkelius (prolegg. p. 123) non sine iure ex vv. VI 791 sq.:

„Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt
hic, ubi fit docta multa corona manu.“

„carmen Ovidianum hac parte imperfectum esse“ cogit; ubi cum agatur de templo Larum publicorum, in summa sacra via aedificato et ab Augusto renovato, sane mirum est, quod „tam insigne tamque tractabile principis factum tam exiliter adnotatur.“ Ad hos igitur locos a Merkelio indagatos, quibus unus infra addetur (p. 29), alii, quos Peter investigavit, accedunt. Atque omnes posteriorum quinque librorum ille huc refert, qui ad ipsum poëtam Romae vitam degentem pertinent; quos eum mutaturum vel aliquid de exilio suo additurum fuisse arbitratur, si in omnes Fastorum libros pariter studium contulisset; exempli causa affert v. III 661, vv. IV 377 sqq., 905, VI 395 sqq.; addere potuit v. VI 219 sqq., etiam vv. IV 685 sqq. et VI 417 sq., qui uterque locus ad Sulmonem, poëtae patriam, pertinet. At tantum abest, ut equidem idem de hoc argumento iudicem, ut Ovidium, si Fastos penitus perfecisset, etiam vv. IV 81 sqq. deleturum fuisse censeam, quibus aperte eius exilium designatur. Cur ita existimem, discas ex hoc ipso loco:

„ergo age, tam longas sed supprime, Musa, querellas,
non tibi sunt maesta sacra canenda lyra.“ *)

Aliter res se habet de v. I 540, quo versu Ovidii exilii — licet huc spectet — tamen non mentio fit aperta: talia sane non abhorrent a poëtae consilio, quod in Fastis condendis habuit (cfr. I 1 sqq.). In hunc igitur modum haud scio an ille locos allatos mutare potuerit, neque tamen ex eo, quod non mutavit, effici debet libros II sqq. ultima lima carere; scilicet maxime Ovidio cavendum erat, ne nimius in talibus rebus et molestus fieret.

Neque vero minus Peter videtur errare de eo, quod vv. I 151 sqq. et III 235 sqq. atque vv. I 391 sqq. et VI 319 sqq. in universum inter se consentiunt; nam cum nulli posteriorum quinque librorum loci similem in modum sibi consentiant, hos libros poëtam non retractavisse Peter argumen-

*) Quod si ita est, etiam veri similius est versus, de quibus agitur, Tomis a poëta inculcatos esse per occasionem forte datam; cfr. p. 12 adn.

tatur, quos si retractasset, res iam in primo libro narratas eum repetiturum fuisse negat. At priori repetitioni causam subesse scias vel potius omnino nullam ibi esse repetitionem; nam vv. I 151 sqq. sunt de vere frigoribus opposito, de vere, anni tempore hominibus grato et accepto; vv. III. 235 sqq. de vere, quod est „tempus fecundum“ (v 243).*) Quapropter equidem in illis locis non haereo, neque minus facile offensio de vv. I 391 sqq. et VI 319 sqq., quibus locis eisdem Merkelius (prolegg. p. 165) argumento utitur, mota, sic explanari potest, ut quadam fabulae similitudine concessa opponamus altero loco de Priapo et Lotide agi, altero de Priapo et Vesta; altero de die Baccho sacrato, altero de die Cybelae sacrato; atque quid ad Ovidium, quod hae narrationes inter se similes erant! Cfr. Ries. ann. phil. a 1874, p. 565. Addit Goldscheider (l. c. p. 20) illic quaeri, cur asinus Priapo immoletur, hic cur ornetur floribus **) Gravius etiam est illud, quod, cum poëta in re describenda tam lascive se gerat, quam in Tristibus et in libris „ex Ponto“ non consuevit, vv. I 391 sqq. Tomis factos esse plane negandum est. Itaque utramque narrationem Ovidium, priusquam relegaretur, scripsisse statuo; et sane tales nugas dum Romae quidem erat, etiam bis narrare non supervacaneum esse putavit; cfr. amor. III 2 sqq. et art. I. 135 sqq. (cfr. Teuffel. hist. litt. Rom. ed. IV. p. 247, adn. 7). Quod nisi vv. I. 391 sqq Tomis exarati sunt, irritum fit Peteri argumentum.

Admodum pauca igitur videmus recte collegisse Merkelium et Peterum indicia, quibus excepto libro primo Fastos non satis limatos esse veri simile fieret. Nonnulla omiserunt, neque ea levia: velut satis mirum est, quod vv. III 45 sq.:

„Vestae simulacra feruntur
virgineas oculis opposuisse manus.“

---

*) Idem vidit Goldscheider (l. c. p. 20).

**) Quem tamen miror, quod, cum recte dicat (p. 20): „quare non est, cur poëta hos locos librorum III. et IV. in retractatione reicere debuerit“ sibi ipsi discrepans pergit: „sed uno tenore eos omnino non conscripsisset“. Nempe si non est, cur illos reicere debuerit, item non est, cur uno tenore non conscribere potuerit.

corriguntur versu VI 295:

„esse diu stultus Vestae simulacra putavi".

Cum non dubium sit, quin poëta, si totos Fastos perpolivisset, priorem locum mutaturus fuerit, non videtur eos perpolivisse. Idem haud scio an pateat ex vv. 793 sq.:

„tempus idem Stator aedis habet, quam Romulus olim
ante Palatini condidit ora iugi."

et ex vv. VI 795 sq.:

„tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
cum data sunt trabeae templa, Quirine, tuae.";

res enim his locis prolatas fusius exponere non modo potuit, sed etiam debuit Ovidius, nisi forte putamus res gravissimas eum adumbrare quam narrare maluisse. Illud quoque fortasse ex eadem causa pendet, quod duo versus (V 582 et VI 660) in verba tetrasyllaba exeunt, quam neglegentiam Ovidius in carminibus limatioribus vitare solet. Nam quod Riesius (ed. III. p. V.; ann. phil. a. 1874, p. 569), cum tetrasyllabus versuum exitus in Tristibus et in epistulis „ex Ponto" non ita raro inveniatur, illos versus Tomis suspicatur factos esse, haec coniectura eis, quae supra de posterioribus quinque libris docuimus, repugnat. Sed utcunque de hac re iudicamus, hoc constat primum quoque librum uno quidem loco non limatum esse; recte enim dixit Peter (ann. phil. a. 1875, p. 505) vv. 295 sq. repugnare versui 2; namque ut supra exposui (p. 11 adn.) v. 295 sq. poëta rationem non habet — paene dixi: habere oblitus est — prologi mutati. De aliis tamen locis, quos idem putat referendos esse ad primum librum non prorsus perpolitum, ei non assentior; de versibus igitur 223 sqq. et v. 257 verba iam feci (cfr. p. 21 sqq.), item vv. 709 sqq. (cfr. Peter adn. ed. part. II.) et satis incerti sunt (cfr. quae adn. p. 18) et, si inter se paullum discrepant, hanc discrepantiam tollere Ovidius n o l u i t; certe retractatione non egent. Etiam de vv. 85 sqq. a Petero dissentio, quos cum eis, quae antecedant et sequantur, non arte cohaerere Riesio (vol. III. p. IX) concedens Tomis additos esse putat (ed. alter. part. II adn. ad h. l.). Nam cum verba „arce sua" non ad caelum,

sed ad Capitolium referenda esse ex ipso verbi arcis usu Ovidiano appareat*), illos versus dubitationem non habere mihi persuasum est; cfr. p. 19.

Quae cum ita sint, primum Fastorum librum talem fere esse Merkelio assentior, qualem poëtam, si per fatum ei licuisset, editurum fuisse verisimile sit; neque in eo offendo, quod uno loco (vv. 295 sq.) non perfectus et perpolitus est. Reliquos autem libros omissa dedicationis diversitate minus quam illum limatos esse eidem concedo. Verum dissentio paullum a Merkelio, quod de „lacunis in primo libro suppletis" verba facit, certe hoc dicens modum excedit, nam quae in primo Fastorum libro non retractato fuerint lacunae, omnino sciri nequit.

D. Cur Fastos retractatos dedicaverit Ovidius Germanico.

Restat, ut exponam, cur tandem opus rectractandum statuerit poëta inscribere Germanico, quae quaestio ut per se ipsa gravis est, ita eo magis tractanda videtur esse, quod offensionem hinc petivit Riesius Qui sic arbitratur, „si titulum gratiae quaerendae causa mutare voluisset [Ovidius], a Tiberio, non a Germanico gratiam quaerendam fuisse" (ed. praef. p. VI., ann. phil. a. 1874. p. 568); cfr. Burm. adn. Trist. II. 551. Loersius igitur rem sic exponit (l. c. p. 4): „post septimum vel octavum exilii annum, cum Augustus iam dudum fato functus esset, nova exuli nescio quo casu spes affulsisse videtur in Caesare Germanico, qui ea tempestate rerum bellicarum gloria

*) Ovidium multis locis caelum appellare „arcem" vel „arces" satis constat; cfr. met. I 27 („summa in arce"), I 163 („summa arce"), v. II, 33 („hac arce"), II 306, XV 858, amor. III 10, 21, Fast. V 34, 41, VI 387; Trist. IV 3, 5; V 3, 19; cfr. vernacula lingua „Himmelsgewölbe"; at nullo loco pro verbo caeli dicit hic poëta „arcem Jovis" (v. I 85: arce sua); sed idem quodam studio et amore Capitolium sic appellare solet, non quo illa vox ad „arcem", quae est montis Capitolini alter collis, referenda sit, sed quia Capitolium propter templum illud magnificentissimum „sedes (vel arx) Jovis Optimi Maximi" erat; cfr. Tac. hist. III. 72, IV 54 („integra Jovis sede"); Fast. II 70 („inque Jovis summa caeditur arce bidens"), IV 635 („pars cadit arce Jovis"), VI 18 („quae stat in arce Jovis"); Tibull. II. 5, 26 („et stabant humiles in Jovis arce casae"). De sententia cfr. Trist. I 5, 69 sq., II 217 sq., III 7, 51 sq.

imprimis florebat et ipse laudatus poëta et artium liberalium cultor ac fautor erat". At sine dubio illo casu, de quo Loersius loquitur, res non modo non explicatur, sed vel difficilior et contortior evadit. Neque Merkelii coniectura Petero probata, quam „de occasione" ille facit, „qua carmen Ovidianum patronum Germanicum nactum sit" (prolegg. p. 267), difficultas tollitur. „Scimus" ait Merkelius „ex S. C. Germanicum ad pacandum orientem cum imperio missum in provincias, quae mari dividerentur, Tac. ann. II. 43, anno U. C. 770, quo etiam iter ingressus per Illyricum Nicopolim pervenit. Ibi initio secundo consulatu Athenas adiit, deinde Euboeam, Lesbum, tum Perinthum, Propontidem et os Ponticum, Tac. ann. II 54. Non ergo longissime aberat a poëta nostro in „oriente Sarmatum", qui dicitur in inscriptione Orelliana n. 750, abstruso: quem quis negabit de imperatoris consilio „veteres locos et fama celebratos noscendi" certiorem temperi fieri potuisse, adeo quidem, ut quia nosset Germanicum appulsurum „Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur" scriberet versum 20: „ut Clario missa legenda deo?" Vide, quae Goldscheider (l. c. p. 10) contra Merkelium disputat.

Attamen si diligentius in rem inquisiverimus, nonnulla nos non effugient, quibus offensionem Riesianam nos sublaturos esse persuasum habeo. Ac primum quidem non video, cur a Tiberio, non a Germanico gratia Ovidio quaerenda fuerit; certe si hoc ita esset, eodem iure in eo offenderemus, quod poëta longe plerasque Tristium et librorum „ex Ponto" epistulas ad amicos scripsit, non ad Augustum, cuius in gratiam redire studet. Neque enim, etiamsi Germanicus et Tiberius amicissimi non erant, alterum tamen apud alterum genere ac necessitudine et dignitate multum valuisse quisquam negabit. Quod si forte non concedes, multo saepius scito Germanicum commemorari in epistulis „ex Ponto", quam in Tristibus, ibidem multo saepius quam Tiberium, quin etiam poëtam carmen de Tiberii triumpho (e. P. II 1) misisse ad Germanicum.*)

*) Vehementer errat Goldscheider (l. c. p 6): „epistula e. P. II 1 a. p. Ch. n. 12 Romam missa triumphi Germanici a Pannoniis acti accuratam imaginem effingit; quod bellum a. p. Ch. n. 7—10 gestum Germanico primam occasionem dedit ad probandam virtutem."

Unde apparet Ovidium paullatim omnem spem in Germanico posuisse; de qua ratione si quae adhuc dubitatio in mente tua restabit, eam ita removebo, ut frequentem illam eius viri mentionem eam potissimum causam habere doceam, quod complures poëtae amici aut familiares Germanici erant aut certe eius consuetudine utebantur. Quorum quidem auxilio illius gratiam Ovidium sibi parare voluisse veri simile est. Primum igitur nomino Salanum, ad quem scripta est ep. e. P. II 5; cfr. vv. 41 sq.:

„te iuvenum princeps, cui dat Germania nomen,
participem studii Caesar habere solet";

deinde Sextum Pompeium, quem „a magnis deis" (h. e. ab Augusto et Tiberio) „Germauicum colere" dicit poëta e. P. IV 5. 26. Tertium commemoro Suillium, maritum privignae Ovidii, quem fuisse Germauici quaestorem anno 15 p. Ch. n. ex Tac. ann. IV. 31 („P. Suillium, Germanici quondam quaestorem") nonnulli viri docti coniecerunt. Sed utcunque hoc se habet, ex ep. e. P. IV 8 illum apparet Germanici familiaritate usum esse. Quapropter poëta ab eo petit, ut sibi auxilio veniat; simul se Germanico carmine pollicetur gratum se praestiturum esse (v. 34); cfr. vv. 65 sqq. Animadvertas velim Ovidium, postquam in libri IV 6 (v. 16), quod Augustus „spem suam simulque terras deseruisset", questus est, iam in eiusdem libri epistula 8 multa verba facere de Germanico deque ope ab eo exspectata. Num hoc casu factum esse quisquam putaverit? spectantne fortasse v. 34 et vv. 65 sqq.:

„si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
restat in ingenio, serviet omne tibi.
non potes officium vatis contemmere vates" ctt.

et vv. 87 sq.: „unde tuas possim laudes celebrare recentes" ctt. ad Fastos retractandos? num fortuitum est, quod v. 67 et Fast. I 25:

„si licet et fas est, vates rege vatis habenas"

simillimi suut? Etiam illud mirum est, quod solam hanc elegiam ad Suillium poëta scripsit, cuius rei causa, nisi maxime fallor, est ea, quod Augusto vivo Suillii auxilio nihil fere se impetrare

posse Ovidius haud ignoravit, iam Augusto mortuo illum esse meminit amicum Germanici; quominus plures tamen epistulas ad Suillium daret, morte impeditus est. — Postremum affero Carum; cfr. e. P. IV 13; vv. 47 sqq.:

„sic valeant pueri (Germanici), votum commune deorum,
quos laus formandos est tibi magna datos: —
quanta potes, praebe nostrae momenta saluti,
quae nisi mutato nulla futura loco est.“ *)

Satis perspicue et manifeste ostendisse mihi videor Germanicum ideo saepissime cum in omnibus libris „ex Ponto“, tum in quarto commemorari, quod Ovidius complurium amicorum opera illius gratiam sibi conciliare voluit; nam praeter locos enumeratos, ni fallor, non nominatur nisi II 2,71; praeterea apparuit certas causas fuisse, cur Germanicum poëta praeferret Tiberio. Accedit, quam quidem rem iam alii animadverterunt, quod Germanicus arti poëticae maxime favebat eique ipse operam dedit; cfr. e. P. II 5, 59 sq., IV 8, 81 sq.; Fast. I 25. Ceterum quoniam de una Riesii offensione modo verba feci, alteram hic addere liceat: post Augusti enim mortem poëta ingenio iam invalido fuisse ille dicit. At et Ovidio pollicente „se suis opibus, carmine, Germanico gratum futurum esse“ (e. P. IV. 8, 34) vix dubitari debet, quin huic promisso par fuerit, et ut libros in universum confectos retractaret, non ita multum ingenii ei opus erat.

---

*) Eis quae antecedunt iam scriptis similia indagavisse vidi Goldscheiderum (l. c. p. 6 sqq.); nihil tamen mutare malui, quam quae alter altero prior vidit turbare, praesertim cum ille potius quaerat, „quomodo in epistulis Germanici mentio fiat“ et Ovidium „primum admirari illius virtutem bellicam“ (e. P. II. 1, sed cfr. p. 32 adn.), deinde vim dicendi (e. P. II. 5), denique „ab ipso auxilium petere“ (e. P. II. 8) demonstret, ego quaestionem instituerim de Germanici amicis et poëtam „paullatim eo duci, ut Germanicum carminibus celebrare sibi proponat“ coniciam non ob illas eius virtutes, sed quod complures viri et ipsi et Germanico amici erant.

Ad extremum sententiam, quam de retractatione Fastorum ab Ovidio Tomis instituta exposui, sic colligo. Ovidius igitur tum cum relegatus est, Fastos dedicaverat Augusto neque vero aut ad finem perduxerat aut perpoliverat. Verum non nesciens prorsus fieri non posse, ut opus ederet ei viro dedicatum, cuius animum maxime laeserat, quidquam addere aut corrigere noluisse videatur, dum Augusto reconciliatus esset. Qui cum anno 14 p. Ch. n. mortuus esset non placatus, quamquam „culpae deceptae ignoscere coeperat“ (e. P. IV 6, 15), Germanico, cui iam antea se insinuare studuerat, Fastos inscribere Ovidius animum induxit; simul amicos adhortatus est, ut ab illo auxilium sibi peterent. Rei autem ita operam dedit, ut, quae a nova dedicatione et ab Augusti morte abhorrerent, deleret et omnino poëma perpoliret. Sed priusquam haec confecisset, morte abreptus est anno 17 p. Ch. n. Primus igitur tantummodo liber Germanico sacratus et ita limatus est, ut nihil fere poëtam, si ipse Fastos edidisset, in illo mutaturum fuisse probabile sit. Contra reliquis in libris novatus est unus locus, quantum quidem iudicare possumus: IV 81 sqq. Quo fit, ut et Augusto dedicati sint et ad eum viventem spectent et nonnullis locis lima careant.



Ad extremum sententiam, quam de retractatione Fastorum ab Ovidio Tomis instituta exposui, sic colligo. Ovidius igitur tum cum relegatus est, Fastos dedicaverat Augusto neque vero post ad finem perduxerat aut perpoliverat. Verum [illegible] fieri non posse, ut opus ederet ei viro dedicatum, cuius animum maxime laeserat, quidquam addere aut corrigere noluisse videtur, dum Augusto reconciliatus esset. Qui cum anno 14 p. Ch. n. mortuus esset non placatus, quamquam „culpae deceptae ignoscere coeperat“ (ex P. IV 6, 15), Germanico, cui iam antea se insinuare studuerat, Fastos in [illegible] Ovidius animum induxit; [illegible] tus est, ut ab illo auxilium sibi peteret. Ea autem ita operam dedit, ut, quae a nova dedicatione et ab Augusti morte abhorrerent, deleret, et omnino poema perpoliret. Sed priusquam haec confecisset, morte abreptus est anno 17 p. Ch. n. Primus igitur tantummodo liber Germanico dedicatus et ita limatus est, ut nihil fere [illegible], si ipse Tomis edidisset. In illo [illegible] probabile est. Ceteris reliquis in libris novatio est [illegible] quibusdam indicia possumus: IV 81 sqq. Quo fit, ut et Augusto dedicati sint et simul cum viventem spectent et nonnullis locis lima careant.